

Bernhard Barnstorff

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Bernhardus Barnstorff ... Ad Cohonestandas Exequias Quas Matronae Honoratissimae Elisabethae Petri, Viri ... Valentini Mölleri ... relictæ Viduæ Liberi Moestissimi Solemniter decenterq[ue] paratas cupinnt, Omnes Universitatis huius Cives & Fautores ... invitat : [Dabam sit Sigillo Rectoratus d. 14. Februarii A. 1696.]

Rostochi[i]: Weplingius, [1696]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn772088225>

Druck Freier  Zugang




Barnstorff, B.,


in

E. Petri,

uxor. V. Möller.

Rostock, 1696.





PROGRAMMA

QVO

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

BERNHARDUS

BARNSTORFF

Med. D. Prof. Publ. & Poliater

Ad

Cohonestandas Exeqvias

QVAS

MATRONÆ HONORATISSIMÆ

ELISABETHÆ

PETRI,

VIRI Præ - Nobilis atq; Spectatissimi

DN. VALENTINI
MÖLLERI

Præfetti quondam præfecturæ Schwerinens^{is} fidelissimi
relictæ Viduæ

LIBERI MOESTISSIMI

Solemniter decenterq; paratas cupimus,

Omnes Universitatis bujus Cives & Fautores per amanter
& Officiose invitari.



Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.





Nimiam immortalem quemadmodum qui in se agnoscunt, eam sibi collatam esse præstantiam intelligunt, quâ ad similitudinem Dei quodammodo accedunt non sibi, non mundo, sed æternitati victuri; Ita ex adverso nulla pestis nocentior est, aut tam calamitosa, quam eorum, qui opinione interituræ animæ suæ ducuntur. Vah! quantum ipsi affligunt gloriam suam. Terreni volunt esse illi & plane abjecti, qui ita vanè de se sentiunt. Accepimus à Deo Spiritum, cujus virtute vivimus & movemur, ipso cœlo præstantiorem. Sit cœlum res fluida & materiæ subtilissimæ, incredibili pernecitate mobilis! Eò tamen non assurgit, ut cogitationum, quæ in animo exsurgunt, aut vim aut varietatē aut velocitatē æqvaret. Annon morā aliquam interponere oportet, quando ex terra in cœlum transferre placet animum? Videnturnè res illæ, quæ sunt disjunctissimæ, ita tamen sibi sæpius propiores, ut eòdem, quò in terras, & de terra cogitas, etiam momentò in cœlum te elevare, ejusque virtutem animo complecti proclive sit? Fulgeat cœlum suis stellis, suâ luce, omnia ferè subjecta sibi illustrante! Non tamen ejus est luminis, quò in se ipsum reflectat, suam gloriam intueatur, & vel ullum sensum eorum, quæ aguntur, habeat. At quid anima? Ea ejus vis est, ut lucem inferat plerisque rebus à se cognitis, & non tantum earum, sed sui etiam ipsius rationem reddere queat, atque conscientiam retineat. Extendat se cœli facies in eam amplitudinem, quæ neque intellectu humano comprehendit, neque definiri se patitur! Anima tamen nostra est sublimior & profundior, ut inquirenti plane res sit intellectu difficillima, & recessibus suis, quibus gaudet, abditissima. Cœlum tanquam corpus intra suos terminos, quibus naturâ suâ circumscribitur, decurrere tamen intelligitur, Animæ verò aut concipere aut ponere terminos quosdam æque inconveniens videtur esse, ac cogitationi extensionem aliquam affingere. Hanc, quæ est naturæ nostræ, excellentiam aut ignorare velle, aut in minimis ponere

nere corruptissimi est ingenii, & res vitæ deploratissimæ. At quid aliter agunt aut præ se ferunt illi, qui immortalitatem animæ suæ aut in dubium vocant, aut prorsus negant, aut parùm curant? Sponte suâ homines se illi ad brutorum conditionem abjiciunt, ipsis etiam brutis pejores. Nullum enim brutum tam infelicis est naturæ, quin curam habeat ad modum intentam se conservandi in eò, quo est statu. Illud verò hominum genus sicut plane negligens sui est, neque præteritorum memoriam, neque futurorum rationem ullam laudabiliter habens, ita nec præsentibus eò animò possunt uti, ut conservationem sui aut ritè tueantur, aut vel intendere videantur. Quid magis præsentiam suam per varias actiones hominibus exhibet atq; anima? Nunc quæ occurrunt, congruenter distinguit, nunc ex perceptis ita plura ingeniosè concludit atq; componit, ut in usus omnes pateat quàm latissimè, nunc judicium prorsus suspendit, ne aut sibi aut aliis in rebus humanis detrimento esse videatur. Et tamen ita vani homines cæcutiunt, ut præsentissimam illam sibi animam velut à cura sua alienam judicent, corrumpentes etiam, quantum in ipsis est, quicquid sanæ mentis aut gloriæ ipsis adhuc reliquit peccati originalis labes. Inde nullus locus est conscientiæ, nullus virtuti aut justitiæ, nullus meditationi mortis, sed quemadmodum mediâ nocte licentiam habent, qui peccare conantur, dum pudori & metui nox maximè adversaria est, ita eâ levitate animi qui sunt, nihil magis in votis habent, quàm ut voluntati carnis suæ eâ, quâ promptitudine licet, morem gerant, aut si qua honestè fiunt, speciem modo honestatis mentiantur, animò longe aliter informatò: aut viam sibi salutis tam levem, tam facilem persvadent, ut *Christum* etiam cum Belial per hanc vitam consistere posse, ex eorum mente non sit, cur dubitent. Quodnam verò malum potest esse deterius? & quid mirum, conscientiam aliquando exsurgente, illius furefurishomines eò horrore perfundi, eaq; perturbatione excruciaci, ut à nece sibi inferenda tandem ipsi vix manus abstineant. Beati contra sunt, quos alius Spiritus regit, quosq;

X 2

animæ

animæ suæ immortalitas subinde ad meliorem vivendi rationem excitat, ut maturè & consideratè animo proponant, quæ sunt post mortem futura. Illi sicut quotidie indolem suam virtute *Spiritus Sancti* circumspectè admodum excutiunt, an etiã in fide sint 1. cor. xiii. 5. ita nec in precibus & sanctitatis studio sibi quicquã deesse patiuntur, quantum humanæ conditionis fragilitas permittit. Incueamur jam *Beatè defunctã nostrã Matronã* tanquã exemplum & speculum eorum, quæ laudabiliter de homine pio & sanctitatis amante dici possunt. Præbet fanè *Matrona illa optima* tale pietatis argumentum, quod meritò omnem hujus Programmatis paginam etiam ab initio facere debuisset. Immortalem enim suam animam ita ex fide respexit & agnovit, ut eam *DEO Patri* omnium luminum & spirituum reddere, quovis tempore esset paratissima; eaq; etiam felicitatis per hanc vitam fortuna ipsi contigit, ut non tantum in multos annos virtutem vivendi produxerit, sed etiam tanquã fecunda mater prolem suam multiplicè, eamq; magnis honorũ titulis jam longe lateq; valentem, atq; feros Nepotes sua etiam laude jam florentes non sine multa gratulatione viderit. Lucis hujus usurã frui cœpit *Schwerini*, sede illa Serenissimi *PRINCIPIS* regentis admodum illustri A. 1622. d. 24. Sept. Patrem habuit virum Amplissimum atq; Doctissimum *Dn Laurentium Petri*, Senatorem civitatis Schwerinensis non sine laude nominandum; Matrem feminam nobilissimam omniq; virtutum laude admodum conspicuam *Magdalenam Zietens Fürstenwaldã* oriundam; Avum compellere potuit paternum Virum prudentissimum atq; spectatissimum *Dn. Nicolaum Petri*, civem atq; mercatorem Stralesundæ nominatissimum; Aviam *Elisabetbam Gerdeners*. Avus maternus ipsi exstitit *Vir Amplissimus atq; Consultissimus Dn. Peter Zieten*, Consul. de Republicã Fürstenwaldensi insigniter meritus; Avia materna Femina optima *Anna Düsterbecken*. Proavus paternus fuit *Vir Amplissimus atq; Consultissimus Dn. Matthias Petri*, Consul Stegæ in Dania suis meritis quondam admodum præclarus; Proavia paterna femina & origine & vir-

virtutibus suis fulgidissima *Margareta Finsels*. Ex quò nata est, id curæ suæ statim esse rectè judicarunt parentes optimi, ut sanctissimi Baptismatis lavacro ablueretur, nomenq; suum *Jesu Christo Salvatori* nostro ex fide daret, unde gratia Dei, unde salus, unde spes vitæ æternæ ipsi semper constaret certissima. Neq; quò tantum pignus, quod fidei ipsorum erat commissum, ritè à primis statim annis institueretur, quicquam partium suarum unquam intermiserunt parentes verè Christiani, sed sive præceptis fidei, sive monitis sive exemplo pietatis, quod ipsi præbuerunt, ita ad pietatis studium filiolarum suarum tam charæ animum flexerunt atque muniverunt, ut in omnes partes esset, unde ad virtutes elegantes laudabiliter formaretur. Quæ educationis cura ipsis etiam adeo ex voto successit, ut filiam deinde acciperint benè moratam, inque omnes vitæ usus, quantum mulieres decet, longè lateque utilem. Quare cum A. 1637. viduus factus pater omnem rei suæ domesticæ curam ipsius fidei committeret, ita providè munere illò suo defuncta est jam *Beata nostra*, ut licet belli strepitus undiq; perturbarent & affligerent res humanas, illa tamen suppellectilem Patris & tueretur & ampliaret. Amissò tandem etiam Patre, contentientibus consanguineis suis, uxor data est Anno 1644. Viro Spectatissimo atque integerrimo *Dn. Paulo Christiani*, Præfecturæ Schwerinensis Inspectori & curatori prudentissimo, multumque apud ipsum etiam Serenissimum Principem gratiâ quondam valenti. Quod conjugium sicut divina voluntate erat contractum, ita amicissima animorum conjunctione per quindecim fere integros annos non sine magna voluptate floruit. Subolem inde per DEI gratiam procreavit & gratissimam & multiplicem. Primum enixa est filiam *Margaretam*, Feminam jam Nobilissimam, uxorem initio *Dn. Christiani Rosenaw*, præfecti quondam Doberanensis, cum in vivis esset, benè merentis, nunc verò *Viri Nobilissimi Dn. Heinrichi Steinkopffs* identidem præfecti Doberanensis. Cujus ex matrimonio priori tanquam avia vidit quinque neptes & duos nepotes, *Mariam Margaretam*, quæ Viro Nobilissimo atq; Amplissimo *Dn. Friderico Amelio* J. U. L. Academiæ Rostochiensis à Secretis dexterrimo in matromonium

locata quatuor jam in lucem edidit liberos, *Christianum Ottonem*, prædii Neuenhoff hoc tempore conductorem & administratorem, unius filii jam Patrem, *Elisabetham Sophiam*, quæ Viro suo nomine insigni *Dn. Carolo Behrens* / saltuum sive sylvarum Præfecto nuptiis conjuncta jam sex liberorum mater facta est, *Annam Dorotheam* uxorem jam *Dn. Christiani Veiten*, Viri sanè optimi & Doctissimi, Conductoris jam & Administratoris prædii *Rabenhorst*, parentem etiam duorum liberorum, *Catharinam Elisabetham*, quæ vix ante annum in amplexum & nuptias concessit *Viri Pl. Rev. atq; Clariss. Dn. Swederi Dieterici Schertling*, Pastoris Magdeb. vigilantissimi, *Julianam*, adhuc virginem, & *Valentinum Gabrielem*, literis adhuc humanioribus domi incumbentem. Alterò partu *Beata* nostra filium produxit *Fridericum Laurentium*, Virum jam dudum magni nominis, qui primò Secretarii nomine in comitiis Ratisbonæ, nunc in aulâ Cæsariâ Viennæ moratur à *Serenissimo PRINCIPE Schwerinensi* eò missus, & nunc intra viginti annos, & quod excurrit, à nemine suorum visus. Peperit deinde *Johannem Danielem*, Virum jam *Nobilissimum atq; Doctissimum*, Advocatum apud Bremenses celeberrimum, quem paucis abhinc annis non sine magnâ lætitiæ significatione coram ipsa compellavit. Cum iterum exactis suis temporibus partu levaretur, Filium à Deo accepit *Paulum Fridericum*, Virum jam pariter *Nobilissimum atq; Spectatissimum*, Præfecturæ Ribnicensis Præsidem optimè meritum, tamq; facilem & per omnes vitæ partes laudabilem, ut in multâ sit laude & gratiâ apud omnes. Sustulit hic ex *Magdalena*, sua *Sibylla Schertlings* / uxore sanè sedatissimi animi & verè egregiâ *Magdalenam Sibyllam*, *Gustavum* alumnum Scholæ nostræ Rostochiensis optimæ indolis & magnæ spei, *Valentinum*, *Sophiam Christianam*, *Augustam*, *Jacobum Fridericum*, *Elisabetham*, *Fridericum Henricum*. Adjecit deinde pariendo *B. Nostra Gerhardum Joachimum*, qui cum jam expectaret studiorum suorum fructum, ante aliquot annos fatis eheu! concessit, & *Michaelem*, Prætorem jam urbis Ribnicensis & Oeconomum suò etiam titulò egregiè gaudentem. Facta tandem vidua, postquam diu fatis cladem, quam acceperat, acerbè deplorasset, repe-

repetiit matrimonium A. 1661. cum Dn. *Valentino Möllero*, Viro
 suis quondam titulis admodum spectabili, Præfecto tractûs Schwe-
 rinensis insigniter meritô. Idem etiam hîc animus, eadem mens
 vitæ hujus difficultates ita sublevavit, ut integri viginti anni cum
 unô, quibus familiariter vixerunt, viderentur sicut unus. Adeo
 ferebantur omnia æquô animô! adeo grata erat vitæ conjugalis
 conversatio! Exosculata est ex hoc thoro *Valentinum*, Virum jam
Nobilissimum atq; Spectatissimum, salinarum in oppidô *Sülz* Præfe-
 ctum atq; Administratorem integerrimum, qui ex *Agnetâ* sua
Scherlings Conjuge sanè optimâ, etiam suscepit jam *Annam*
Elisabetham, *Dorotheam*, *Agnetam*, *Valentinum Jacobum* non ita pri-
 dem iterum extinctum, *Filiam* illam, quæ cum inciperet vivere,
 statim esse desuit, *Henricum Adolphum*, *Fridericam Dorotheam*. Ulti-
 mum amoris mutui & castissimi pignus fuit *Otto Petrus*, Vir jam
Plur. Rever. atq; Clarissimus, ad ædem Jacobi apud Rostochienses
 Diaconus merentissimus, cujus liberi ex recenti suâ uxore, Femi-
 nâ Nobilissima *Magdalena Arndij* adhuc bonô cum Deo expectan-
 tur. Experta iterum *B. Defuncta nostra* lamentabilem aliàs viduæ
 sortem, quô filiis suis propius adesset, Ribnizum cum reculis suis,
 ut ita loquar, concessit, finem etiam vitæ ibidem factura, nisi Fi-
 lius ille natu minimus Rostochium fuisset ad animarum curam
 vocatus & translatus. Secuta hunc tam Bonum Virum Mater
 optima id unicè egit Rostochii, ut cultui divino, precibus, & o-
 mni pietatis studio assiduè pariter & impensius vacaret, velut
 jamdudum ad abitum ex hac vitâ probè accincta. Morbus
 autem qui Matronam nostram leptuagenariam, aliàs sic
 satis benè constitutam, lecto affixit, quantum in principio ex
 symptomatum præsentia concludere licuit, Nephriticis venit
 annumerandus affectibus; Dolores enim, uti conqverebatur,
 circa regionem renalem, & cruciatus circa meatum vesicæ uri-
 narium sensit intensissimos, & præterea urinam admodum pau-
 cam, cruentam tamen, & mucoso sabulosoq; sedi nento onu-
 stam, non sine difficultate reddidit: Cui postmodum accessit Fe-
 bris continua, cum omnimoda appetitus ciborum abolitione,
 singultu, præcordiorum anxietate, vigiliis immodicis, & quod
 omnium

omnium ferme pessimum, inflammatione, intumescencia & exulceratione faucium; quæ easdem & œsophagum adeò occluserant, ut per integrum ferme quatrimum ne guttulam quidem vel Medicamenti vel alimenti, nisi cum summis anxietatibus atque molestiis deglutire potuerit, ex quibus nil, nisi totalis virium, adhuc in minima quantitate restantium, consumptio, & tristissimus morbi eventus prædici potuit. Et quamvis huic malo corrigendo & debellando, ipsemet Ego in Consilium adhibitus, omnem debita fide impenderim operam, & medicamenta tam interna quam externa, oppidò aliàs juvenia, præscripserim, nihilque prorsus omiserim eorum, quæ restituendæ Ægræ crederentur factura; Mali tamen pertinacia omnem superavit opem humanam, piissimamque Matronam nostram, merito sospiratoris sui, nostrique omnium JESU CHRISTI, unicè & firmissime innixam, die 4. currentis mensis, circa horam quintam vespertinam, placidissimè, & sine ullo violentioris corporis motu, aut convulsionibus, è vivorum numero sustulit. Sic jam *Matrona* nostra ad *Dominum* migravit, unde spiritum, unde vitam, unde salutem suam largissimè accepit. Sic ad verum misericordiæ *Patrem* in *Jesu Christo* rediit illa, quæ tanquam provida Mater pro salute suorum ardentissimis apud *Deum* precibus quotidiè invigilavit, non desistens prius ab hoc pietatis officio, quam ipse Spiritus deficeret. Quæ cum sint tantæ laudi *B. Matrone* nostræ ducenda, multumque etiam in se contineant, unde ad paræ pietatis imitationem incitemur, jam judicate ipsi, *Cives Optimi*, annon committendum, ut sine nostrò comitatu, nostræque etiam benevolentia & officii humani significatione corpus ejus relictum in sepulchrum inferatur? Quare cum funus hodiè efferre decretum sit, rogo quæloque, operam jam demus laudabilem, ut in funus procedamus frequentissimi, ipsi etiam mortalitatis nostræ non sine fructu memores. Valete.

Dabam sit Sigillo Rectoratus d. 14. Februarii A. 1696.

Conventus fiet horâ pomeridianâ
in Æde Jacobâ.



repetiit matrimonium A. 1661. cum D
suis quondā ritulis admodum spectabil
rinensis insigniter meritō. Idem etiam
vitæ hujus difficultates ita sublevavit,
unō, quibus familiariter vixerunt, vider
ferebantur omnia æquō animō! adeo
conversatio! Exosculata est ex hoc tho
Nobilissimum atq; Spectatissimum, salinari
ctum atq; Administratorem integerr
Scherlings/ Conjuge sanè optimā, e
Elisabetham, Dorotheam, Agnetam, Valent
dem iterum extinctum, *Filiam* illam, c
statim esse desiit, *Henricum Adolphum, Fr*
mum amoris mutui & castissimi pignu
Plur. Rever. atq; Clarissimus, ad ædem Ja
Diaconus merentissimus, cujus liberi e
nā *Nobilissima Magdalena Arndij* adhuc
tur. Experta iterum *B, Defuncta nostra*
sortem, quō filiis suis propius adesset, R
ut ita loqvar, concessit, finem etiam vit
lius ille natus minimus Rostochium fuit
vocatus & translatus. Secuta hunc t
optima id unicè egit Rostochii, ut cultu
mni pietatis studio assiduè pariter & in
jamdudum ad abitum ex hâc vitâ pro
autem qui Matronam nostram lep
fatis benè constitutam, lecto affixit, c
symptomatum præsentia concludere l
annumerandus affectibus; Dolores e
circa regionem renalem, & cruciatus c
narium sensit intensissimos, & prætere
cam, cruentam tamen, & mucoso sal
stam, non sine difficultate reddidit. Qui
bris continua, cum omnimoda appet
singultu, præcordiorum anxietate, vi

Möller, Viro
tractus Schwe
eadem mens
ginti anni cum
unus. Adeo
itæ conjugalis
um, Virum jam
Stultus Præfe
ex *Agnet*a sua
it jam *Annam*
non ita pri
iperet vivere,
otheam. Ulti
rus, Vir jam
Rostochiensis
uxore, Femi
Deo expectan
m aliâs viduæ
n reculis suis,
tura, nisi Fi
arum curam
Virum Mater
ecibus, & o
caret, velut
Morbus
n, aliâs sic
principio ex
nriticis venit
iquerebatur,
n vesicæ uri
nodum pau
imento onu
n accessit Fe
n abolitione,
icis, & quod
omnium

